

rio, digitum densum, cineraceo colore, rarisque pilis praeditum. Adeo magnus est, ut iugo bouum opus sit ad unum vehendum. Nonnunquam quatuordecim aut quindecim pedum longitudinem superat, octo vero palmarum crassitudinem. Circa insulam Hispaniolam in mari capitur. Subit tamen et flumina, et secundum ripas eorum herbas depascitur. *Manfuescit* aliquando. Aluit quendam per viginti sex annos in lacu Guaynabo Caramatexi Regulus, tam mansuetum, licet jam grandem, ut nomine Matonis inclamatus, e lacu egrederetur, et ad aedes cibi sumendi gratia perreptaret, iterumque in lacum remearet, pueris atque viris, quorum cantu delectari videbatur, comitantibus. Idem denos simul pueros tergo exceptos ex una lacus parte in oppositam tranfvehebat. Cum quidam ex Hispanis hastam in eum vibrasset, et si

non laesus, nunquam tamen imposterum emergere voluit, si viros hasta indutos, et barbatos conspexisset. Intumescente fluvio Hayboaico, et in lacum illum se effundente, in mare regressus est. *Usus* et in *Cibis* et in *Medicina* praestat. Caro enim ejus reficcata, Anglicae bubulae similis est, et diutissime incorrupta manet; cocta Thynni carne est praestantior. Cauda in partes concisa, et soli per quinque dies exposita, tandem in patella cocta, multa pinguedo elicitur, quae, quia rancorem non contrahit, ad ova in sartagine frigendo adhibetur. *Offa* in capite colicae passioni et doloribus nephriticis valde adversantur, si primo adusta, contrita et per cribrum transmissa, in vino drachmae unius vel alterius pondere, assumpta fuerint. Ex Corio cingula etiam et calceorum soleae fiunt.

